


DISSERTATIO  
JURIS PUBL. PRUTENICI,  
DE  
**UNIONIS, QVA**  
**POLONIÆ JUNGITUR**  
**PRUSSIA, INDOLE.**

QVAM  
MODERANTE  
VIRO

NOBILISSIMO, CONSULTISSIMO, ATq<sup>ue</sup> EXCELLENTISSIMO,  
**DN. SAMUELE FRIDERICO**



J. U. D. EJUSD. AC HISTOR. PROF. PUBL.

NEC NON

ATHENÆI GEDANENSIS INSPECTORE,

IN

**AUDITORIO ATHENÆI MAXIMO,**

*A. O. R. MDCCXXVII. D. VIII. MAJI,*

PUBLICO AC PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI

SUBMITTIT

RESPONDENS

**ARNOLDUS DILGER, Ged.**


---


G E D A N I,

TYPIS THOMÆ JOHANNIS SCHREIBER,  
SENATUS ET ATHENÆI TYPOGRAPHI.



Pol. 8, II 384





I. N. I.  
DE UNIONIS, QUA PO-  
LONIÆ JUNGITUR  
PRUSSIA, IN-  
DOLE.

§. I.



*Vires* *Ajores nostri*, alloquuntur, in Comi- *Qua inter*  
tiis *Coronationis*, Henricum Regem, *Prussiam &*  
*Pruteni*, animo bene deliberato, ad *Poloniam*  
*inclytum* hoc *Poloniæ* Regnum, libera *Unio.*  
*deditione & sua sponte*, nulla vi, nul-  
lisq; armis, aut externo metu coacti,  
acceserunt, certis interpositis pa-  
ctis & conditionibus, ut Regno qui-  
dem *Poloniæ* incorporati, peculiarem tamen & separatam  
*Rempubicam* haberent, suisq; Juribus & Consuetudinibus,  
cum quibus ad hoc *Poloniæ* Regnum acceserunt, libere & sine  
alicujus impedimento nderentur. (\*) Hæc vera & genuina

A

Unio-

(\*) Vid. Hist. Prus. T. III. Doc. p. 30.

Unionis Prussiam inter & Poloniam indoles, quam ad normam Juris publici, emanatarumque inde consuetudinum, fusius describendam, mihi sumsi.

*Quomodo  
Prussi sub  
Imperium  
Regis Polo-  
nie vene-  
runt.*

§. II. Prussiam, renunciato ob Tyrannidem Equitibus Teutonicis obsequio, sua sponte deditionem Casimiro Poloniæ Regi fecisse, scriptores, tum domestici, tum extranei, uno veluti ore, memorant. Soli, qui superioris ævi monumenta negligunt, invidiaque in gentem nostram laborant, bellum fingunt, quo victi Prussi, leges Polonorum subire necessum habuerint. Libera hæc deditio, exhibitis receptisque conditionibus, peracta, solennique Diplomate, quod rectius Pactum Deditionis, (\*) quam, ut vulgo audit, Incorporationis Privilegium vocares, roborata. Nec alio modo juncta est Poloniæ Provincia nostra, ac in fidem Regis concesserat, idem enim actus, qui Genti Regem constituit, vicino Populo sociavit.

*Capita  
spontanea  
Deditionis.*

§. III. Juvat conditiones, iisdem, quibus in allegato Pacto Deditionis occurrunt, verbis recensere. *Assumit & acceptat D. Casimirus omnium incolarum Terrarum Prussie in Terra mariq; sitarum, benedolam & spontaneam deditionem, regimen, tutelam, Gubernationem, subjectionem, obedientiam, Terrasq; & dominia prædicta, Regno Poloniæ re-integrat, indiscerat & incorporat, & ad usum participationemq; omnium honorum, jurium, libertatum, & prærogativarum, quibus Prelati, Barones & Nobiles Regni Poloniæ hæctenus potiti sunt, & signanter ad futurorum Regum Poloniæ, quotiescunque super electione & coronatione fieri*

---

(\*) Ita & in Scripto quodam, Regi Sig. Augusto exhibito, vocatur. V. Doc. T. II. Hist. Pruss. p. 4.

fieri deliberationem contingat, electionem & coronationem admittit, annectit, & includit. Promittit idem Rex, pro Se, Heredibus & Successoribus suis, ac universo Regno Poloniae, quod praedictas Terras & dominia, favore, gratia, benevolentia & affectione prosequatur, & contra quas-cunque adversitates, impugnationes quorumcunque hominum, illis praestabit Regalem assistentiam & defensam, nec illas a corpore & integritate Regni Poloniae alienari, sequestrari, & scindipatietur. Promittit insuper, quod singulos incolas Terrarum praedictarum Prussiae, in juribus, libertatibus, literis, monumentis eorum, quae à Principibus Spiritualibus & Secularibus, Regibus & Dominis Terrarum praedictarum obtinent, conservabit, fovebit, & defendet, nec unquam ea violabit aut praevaticabitur, aut violari vel praevaticari quomodolibet permittet. Ut autem, liberalitatis, aequitatis & justitiae Ejus dexteram, in his subjectionis eorum & Ejus acceptionis felicibus primitiis, sentiant in universos & quemlibet eorum effusam, Daciam, quae in vulgari *Pfund-Zoll* dicitur, item omnia telonia in aquis & terra, nova & antiqua observantia, in Terris duntaxat praedictis Prussiae, quomodolibet constituta, Regia munificentia tollit, abrogat, deponit, ac solutionem illorum perpetuis temporibus resolvit, dimittit & relaxat, nullo unquam tempore, per Se aut Successores Ejus, Poloniae Reges, ex quacunque causa aut occasione instituendam & imponendam. Item pollicetur, quod res & bona, cujuscunque ponderis & valoris existant, earum Personarum, quae maris naufragio periclitabuntur, nunquam per Se aut Officiales Suos petet aut requiret, sed illas absque diminutione per eos, quorum ante naufragium fuerunt, aut eorum propinquiore, demonstratione evidenti propinquitatem probantes, colligendas, & in usus beneplacitos decernit convertendas. Item omnes in-

colas Terrarum prædictarum, hac etiam prosequetur prærogativa, quod Dignitates & officia, hætenus illic consistentia, & imposterum constituenda, item Castra & Tenutas Civitatum & locorum, nulli extraneo, aut forensi, sed proprio indigenæ, juxta observantiam aliarum Terrarum Regni, conferet. Item omnes causas notabiles, dictas Terras concernentes, cum communi Consiliariorum Spiritualium & Secularium, Nobilium & Civitatum majorum consilio Terrarum prædictarum tractabit, terminabit, & definiet. Item Terras prædictas in suis antiquis gadibus, limitibus & terminis conservabit, tuebitur & defendet. Item usum Jurium, Magdeburgensis, Culmensis, Polonicae hæreditarii & Prutenici, in decidendis quibusvis questionibus, & administratione Justitiæ vult firmum esse, & perennem. Item vult, ut in Thorun, Dantzig, Elbing, Königsberg duntaxat guerra præsentis durante, moneta, Terrarum prædictarum impensis, pace autem secuta, tantum in Thorun & Gdansk, Regalibus impensis, cudatur. Præterea, Nobiles Viros, pro Prussiæ tuitione & gubernatione, ad Suae duntaxat beneplacitum voluntatis, ac cum consilio Prælatorum, Consiliariorum, Civitatum majorum, prædictæ Terræ deputabit, ad quos in Suae absentia super quolibet defectu aut eventu, habeatur recursus, providentia, provisione, & auctoritate illorum supplendus & emendandus. Denique, Mercatoribus Terrarum Prussiæ, in Regnum, Ducatus, & Dominia Regia venientibus, hanc libertatem & prærogativam vult conservari, ut quoties illos in quæcunque loca, Civitates, & oppida Regni & Dominiorum Regionum, venire cum mercibus eorum contigerit, licitum erit eis, hujusmodi merces in loca, testudines, & cameras, & tecta, quorum illis libera præstari debet arendatio, deponere, & pro suo arbitrio exponere in venalita-

*nalitatem, stratasq; omnes, versus Hungariam, Russiam, Moraviam, Silesiam, Austriam, Saxoniam, Wallachiam, liberas habebunt, depositis tamen teloniis, & stratis antiquis Civitatum Regni semper salvis.*

§. IV. Ex his tria notare lubet. Primum, habuisse suas *Novis donatam* leges, sua jura Prussiam, antequam ad Regnum Poloniae acced- *ta Prussia* deret, eademque sibi servasse. Deinde, *honorum, jurium, Privilegiis, libertatum & prerogativarum* Regni Poloniae, participem *antiquis tam-* factam. Tertio, novis donatam Privilegiis, quæ figillatim *men salvis.* recensentur,

§. V. Inde sequitur, Unionem cum Regno Poloniae, jura *Hoc funda-* Provinciae non sustulisse, quin potius roborasse, neque Prus- *mento Unio-* siam aliter ad usum Prærogativarum Poloniae admissam, nisi *Polono-* in quantum suis haud derogarent. His limitibus, æterna *Prutenica* utriusque gentis conjunctio circumscribitur, quos aliqui eo- *innititur.* usque turbare conati sunt, ut, solo relicto nomine, ipsam Poloniam in Prussia constituerent.

§. VI. Non ad horum ingenium D. Casimirus no- *Norma re-* stram ordinavit Rempublicam. Ipse, Provinciae suum Gu- *giminis,* bernatorem præfecit, cui quatuor Palatinos, indigenas *quam D.* omnes, junxit, qui, adhibitis Prussiae Consiliariis, publica ne- *Casimirus* gotia tractarent conficerentque, addito peculiari Sigillo, *instituit,* cum inscriptione: S. Gubernatoris Prussiae. Consilarii ab Ordinibus lecti, Gubernatore Palatinisque in eorum num- merum receptis. Penes hos, absente Principe, Majestas & imperium, nisi quando è re videretur, universam Nobilita- tem, minoresque Civitates convocare. Idem qui sub Equi- tibus Teutonicis Conventus, idem contribuendi modus, eadem Judiciorum forma; hoc saltem discrimine, ut, cum

olim Magister coram, Rex, quod in Polonia degebat, plerumque per Legatos ageret, ipsique Proceres, nonnunquam Regi, misis Oratoribus, publicam salutem commendarent. Nulla adeundi Comitatus Regni necessitas, nulla Consiliorum cum Polonis communio, nisi pro ferendo, quod ex pacto debebatur, Prussiæ auxilio. Ita utraque gens sub eodem Principe perenni fœdere coaluerat, ut neutra, relictis Patriis moribus, in alterius leges transiret. (\*)

*Et confirmavit.*

§ VII. Ratum hoc voluit, qui olim pepigerat, D. Casimirus, dato, anno, supra millesimum quadringentesimum septuagesimum, septimo, Diplomate, in quo edicit: *Se, antea actis annis, certa Privilegia & libertates subditis suis & Terrarum Prussiæ incolis, tam Spiritualibus, quam Secularibus, dedisse & concessisse; quæ quidem Privilegia & alia diu & ab antiquo per eos tenta & habita, ipsis subditis suis, in omnibus punctis, conditionibus, articulis & clausulis, tenere & observare promittit & pollicetur.*

*Cujus exemplum Joannes Albertus,*

§ VIII. Patris exemplum, anno nonagesimo quarto, decimi quinti Seculi, Filius & Successor, Joannes Albertus, secutus est. *Ex certa nostra scientia, inquit, præhabitaque sufficienti deliberatione, animo benevolo, & voluntate nostra ultronea, ipsis Prælatibus, Comitibus, Baronibus, Dignitariis, Officialibus, Militibus, Proceribus, Nobilibus, Civitatibus, & earundem communitatibus, ceterisque subditis & incolis Terrarum Prussiæ, cujuscunque status conditionisque, existant, quæque ipsorum jura & privilegia, tam ecclesiastica, quam secularia, quæcunque a divæ memoriæ Regibus Polonia, & ab olim Genitore & Prædecessoribus nostris, super quibuscunque*

(\*) Conf. Schutz L. V. Chron. Prull. & Lengnichii Norma Regiminis Pr.

buscung, bonis & libertatibus habere dignoscuntur & habent, sub quibuscunque datis in vita ipsorum emanatas & concessas, emanataq; & concessa Jura & Privilegia in se continentes, in omnibus eorum positionibus, conditionibus, articulis universis, ratificamus, gratificamus, approbamus, & presentium literarum patrocínio confirmamus, decernentes, easdem eademq; robur habere perpetuæ firmitatis. Promittentes insuper in verbo nostro Regio, & tenore presentium spondentes, eadem imposterum Jura, libertates & Privilegia per omnia rata grata habere, & inconcusse, jurgiter, inviolabiliter & perpetuo, Justitia mediante, gratiose conservare.

§ IX. Idem, anno millesimo quingentesimo vigesimo primo, Rex Sigismundus præstitit: *Auditis, ait, & bene* & Sigismundus l. secuti.  
intellectis supra scriptis Privilegiis, Juribus, & Prærogativis, concessionibus & donationibus, ad laudem & gloriam imprimis DEi opt. max. omniumq; sanctorum Ejus, & ad universum Terrarum nostrarum Prussia incrementum, tranquillitatem, quietem, stabilitatem atq; conservationem, supra scripta Privilegia ac Jura, prærogativas, concessionnes, donationes & exemptiones, ac omnia & singula in illis contenta, cum omnibus & singulis ipsorum punctis, clausulis & continentiis, prout jacent, ex certa nostra scientia & voluntate, ex Consilio Consiliariorum nostrorum, ad præsens in hoc novissimo Conventu Nobiscum existentium, pro solita benignitate nostra Regia, approbamus, ratificamus, renovamus, laudamus & confirmamus, ipsaq; & ipsas perpetuum firmitudinis robur obtinere volumus. Promittentes insuper in verbo nostro Regio, & sub fide boni, legalis & ingenui Principis, pro nobis & Successoribus nostris, nos  
omnia

*omnia supra scripta in præinsertis Privilegiis expressa, firmiter & inviolabiliter observare, tenore præsentium mediantes.*

*Adidem Sig.  
Augustus obligatus.*

§. X. Non in hoc acquievit memoratus Rex Sigismundus, sed simul Serenissimum Filium, ut idem olim faciat, adstrinxit. Pollicemur illis, Status & Ordines Terrarum Prussiæ intelligit, præsentibus literis Nostreis, quod, quandoque ipse Serenissimus Filius Noster, post mortem nostram ad ætatem legitimam, nempe ad annos quindecim completos perveniens, Possessionem Regni & Dominiorum Nostrorum adire voluerit, tenebitur, illis id totum præstare, quod Antecessores Nostri, Reges Poloniæ, & Nos ipsi præstitimus ex debito, ad quod Ejus Majestatem, ut Filium & Successorem Nostrum tenore præsentium obligamus. - - -  
Et quam diu huic debito officio suo non satisfecerit, ipsi universi Status & Ordines earundem Terrarum & Civitatum nostrarum Prussiæ, ad servandum juramentum suum, quod Majestati suæ præstiterunt, non erunt adstricti, neque obligati (\*)

*Confirmatio  
Privilegio-  
rum & De-  
claratio Ju-  
ris jurandi  
Polonis præ-  
stiti, à Si-  
gism. Au-  
gusto impe-  
trata.*

§. XI. Sigismundus Augustus, delato ad Ipsum post Patris obitum Imperio, in Comitibus Petricoviensibus A. 1549. Prutenis non solum sua Jura, servatamque hætenus Regiminis normam, singulari Diplomate firmavit. (\*\*), verum insuper Declarationem ut vocant, præstiti A. 1537. Ordinibus Regni Juramenti, tradi curavit, in quo, pro liberatione fidei Divi Parentis, & securitate Terrarum Prussiæ testatur, dictum Jusjurandum non alio sensu à se intellectum esse, quara

(\*) Quæ recensui Regum Diplomata, in Privilegiis ut vulgo vocantur, Municipalibus Terr. Pr. exhibentur.

(\*\*) Vid. Hist. Pruss. T. II. p. 25.

quam ut etiam ad Terras Prussie pertineret, ipsæque Terra cum suis subditis in illo essent comprehensæ (\*).

§. XII. Hæc non alio fini in unum congeffi, quam ut constaret, Serenissimos Poloniæ Reges, usque ad Sigismundum Augustum, ad observationem, confirmationemque Jurium Prutenicorum, tum antiquorum, tum per dedicationem recens acquisitorum, obligatos se credidisse. Non eadem Ordinum Regni æquitas, qui, Unionis vocabulo abusi, eo allaborarunt, quo Gentem nostram, moribus suis viventem, legibus Polonicis submitterent. Cum A. 1472. in Comitibus Petricoviensibus, de continuando, quod erat cum Hungariæ Rege, bello deliberaretur, non solum instabant Senatores, ut, qui ex Prussia ad Regem forte aderant Legati, in medium consulerent, verum etiam, veterem illam prærogativam, quâ Prutenis licebat, Conventus sibi suo arbitrio, Principis ne quidem consensu requisito, indicare, & quam ipsi Crucigeri intemeratam reliquerant, subvertere conabantur (\*\*). Hoc quamvis non succederet, toti tamen ex hoc tempore in eo fuere Regni Ordines, ut Consilium Prutenicum Senatui Polonico jungeretur, singula negotia, sive Prussiam, sive Poloniam respicerent, accersitis eo Prutenis, in Regni Comitibus, more ibidem recepto, tractarentur, ut utraque gens eadem subiret onera: bene gnari, hoc peracto opere, cætera, quæ Gentem nostram à Polonis distinguerent, veluti fundamento destituta, sponte ruitura.

§. XIII. Tenacior antiquæ libertatis Majorum ætas, non tollere permisit, quæ olim magno impendio bene constituta erant. Inductæ servatæque sub Equitibus Marianis

B

con-

(\*) Priv. Munic. Terr. Pr. circa finem, & Hist. Pr. T. II. Doc. No. 5.

(\*\*) Schützius sub initium Lib. VIII. Chron. Pr.

*Quibus sua  
Jura oppo-  
suerunt  
Pruteni.*

consuetudines, Jura tum prisca, tum recentiora, Pactum Deditionis, Regum juramentis roboratæ sponsones, & alia, quæ occurrebant, iis opponebantur, qui his destituti, ad utilitatis novæque cujusdem fraternitatis leges, rationes suas subducebant. Inde *Unionis, Incorporationis, Inviscerationis* verba (\*), in peregrinum plane sensum torta, quasi integræ Gentis libertas, ex arbitraria unius alteriusque vculæ interpretatione penderet, nec potius in re tam seria, subsidium ex Jure publico, perpetuaque Consuetudine petendum esset.

*Spondet Poloniam Sigismundus I. novam Prussorum Unionem.*

§. XIV. Vicit tamen adversariorum pervicacia, ut insciis Prutenis, Sigismundus I. A. 1510. & 1539. operam se daturum promitteret, quo Terræ Prussiæ ad Unionem Regni redigerentur (\*\*). Non ergo erat Unio, quæ sub Casimiro coaluerat, & quam sexaginta fere annorum series firmaverat? Utique erat, at non qualis placebat Polonis. Arctius hi desiderabant vinculum, quod Prussos, non tantum, ut hætenus, Regi Poloniæ, sed simul Regni legibus subjiceret.

*Pactio Deditionis contrariam.*

§. XV. Bonum factum! *univit, incorporavit, invisceravit* D. Casimirus Poloniæ Prussiam, tanto tamen inter utramque relicto discrimine, ut post aliquot annorum intervallum, alia flagitaretur unio. Nihilominus, unio illa antiquior, ad normam mutui pacti perfecta, cui, si nova substituenda, à Pacto recedendum erat, quod, nisi utriusque paciscentium consensu, fieri haud posse, ipsa docet ratio.

*Quam tamē Ipse non perfecit, sed Filio commisit.*

§. XVI. Usus hac æquitate Sigismundus Rex, nihil pro imperio statuit, sed indicto ad hoc Conventu, Prussos flectere

(\*) De vera earum significatione; v. Lengnichii Norma Reg. Prut. §. 8. 10. seqq.

(\*\*) Prilufius Stat. L. V. C. I. art. 2. Merburtus Stat. p. 522.

flectere conatus est, ut, Pacto Deditionis posthabito, se sponte sua ad mentem Polonorum componerent. Quod cum irritum cessisset, ipse Rex A. 1521. veterem Regiminis Normam peculiari Diplomate roboravit, cujus verba §. IX. descripsi. In hoc tamen placere Polonis voluit, dum A. 1529. negotium, quod ipse perficere nequiverat, Filio Sigismundo Augusto committeret, licet anno sequenti, Eundem Serenissimum Filium, ad ea sancte servanda, quæ cæteri olim Reges Pruteni præstiterant, obstringeret (\*).

§. XVII. Longum videbatur Polonis, negotium post Sigismundi I. obitum differri. In Comitibus Coronationis Sigismundi Augusti, A. 1530. orabat nomine Senatorum Archi-Episcopus Gnesnensis Regem, curaret, ut Prussia, unum cæteroquin cum Polonia corpus, easdem cum Regnicolis penderet Contributiones, pariaque cum iis subiret onera, nec pateretur, in his aliisque peculiare quid sibi arrogare. Nolebant, qui ex Prussia Cracoviæ aderant Legati, de Privilegiis contendere, sed id curabant, ut res hæc in deliberationem omnium, qui domi remanserant, Ordinum, veniret (\*\*). Quorum nomine, anno sequenti, ex Conventu Mariæburgensi responsum: *Non ignorare Dominos Consiliarios Regni, Terras Prussiae, etiam sub Ditione Ordinis existentes, ac semper usque in præsens, non solum præscripta consuetudine & observantia, sed etiam peculiaribus super hoc concessis Privilegiis munitas, & conservatas fuisse in immunitate talium expeditionum, quas extra Terras Prussiae fieri contingeret, ad quas, vel personaliter faciendas, vel suppetiis juvandas, si quando ipsi Pruteni requisiti fuerint, semper se*

*Nihilominus in Comitibus Coronationis Sigismundi Augusti,*

(\*) Vid. supra §. X.

(\*\*) Histor. Pruss. T. I. p. 89.

hujusmodi suorum Privilegiorum, & antiquorum Jurium præsidio tutatos esse, & immunes permanuisse. Nec posse eosdem Dominos Consiliarios ignorare, Terras Prussie, non gratuita liberalitate Principum, non simplici concessione aut dissimulatione, sed præcedente Tractatu, sed pactis intercedentibus, sed meritis suis, etiam sanguine & bonorum jactura paratis, has sibi libertates & Jurium confirmationes redemisse, cum videlicet ipsarum Terrarum Ordines, se, Terrasque ipsas, Majestatis Regiæ Pareuti, Casimiro, non armis compulsi, sed sponte detulerint, cum esset in eorum facultate, sub priorum Dominorum potestate permanere. Dabere ergo considerare Dominos Consiliarios, ipsis Prutenis, tum propter eorum liberalem affectum, & spontaneam dedicationem, tum ex pacto interveniente, jus esse quesitum in illis, quæ Terrarum Privilegium continet, Privilegiis & confirmationibus, quo minus in illis perturbari debeant, præsertim nullo eorum demerito, cum nec ipsi Principes, qui ea concesserunt, ab eis unquam declinasse, aut aliquid secus tentasse, comperti sint, sed gratiose eos semper in his conservarint. (\*)

Et in Cor-  
veniu Ma-  
riaburgensi  
sentata.

§. XVIII. Quod in Comitibus Coronationis, Præsul Gnesnensis, nomine Senatorum, frustra petierat, id A. 1543. omnium Ordinum nomine, in Conventu Mariæburgensi Legatus Regius postulabat, minis etiam additis, Polonos de periculis, quæ tum Regno imminebant, haud consultaturos, antequam arctior illa cum Prusis unio fuerit perfecta. Monebat ergo eos Rex Sigismundus, venirent ad indicta jam Comitibus Consiliarii, mitteretque eo Nobilitas cum libero mandato Nuncios, quo Ordinibus Regni juncti, in  
com.

(\*) Histor. Pruss. Tom. I. Doc. p. 106.

commune consulere (\*). At, in Responso Regio Oratori dato, querebantur Prussi, quod, cum Regni Consiliarii, pro suis servandis juribus & libertatibus, magna contentione, apud Majestatem Regiam semper agant, non tamen patiantur ea Prutenis, in uno cum ipsis corpore Regni manentibus, esse integra, cum ab aliquot annis, sub Regimine imperantis tum Regiæ Majestatis conati sint, Terris Prussia extorquere libertatum & Privilegiorum suorum usum. Petebant, ne paterentur Regni Ordines, in eam se abduci persuasionem, ut parem faciant Prutenorum & Regnicolarum conditionem, non solum ob vires, opes, facultates Prutenorum longe inferiores, quam ut possint cum Regnicolis aliqua parte conferri, vel ad paria onera vocari, sed etiam ob immunitates, quas sibi posterisque, Majores virtute & meritis comparaverint, cum tyrannidi, ad multa dissimilia onera & servitutes perpellenti, se subducentes, non bello aut armis, sed spontanea voluntate, incho Polonia Regno se subdiderint, non, ut servitutem pristina majorem obirent, non, ut ipsi Regnum defenderent, quæ vel cogitata illos à deditioe absterruissent, sed ut se in libertatem affererent, ut à Regno defenderentur, ut intra suos fines ab externo metu, sub Protectione Regis, essent tuti. - - - Humillime orantes Regem, non solum per viscera JESU Christi & Thronum Regium, sed etiam per incolumitatem & salutem Serenissimi Filii, quem solum post ipsam seniore Majestatem Regiam, suarum Terrarum moderatorem & dominum agnoscerent, & cujus plurimum interesset, subditos suos, quibus privilegia & Jura integra se servaturum jurasset, in illis etiam conservatos aliquando recipere, dignaretur hac in re Regia clementia & auctoritate, ut hætenus semper fecerat, ita tunc quoque prospicere subditis suis harum Terrarum, ne usque

(\*) Histor. Pruss. T. 6. p. 250.

adeo in detrimentum Jurium & Privilegiorum suorum, à Statibus Regni incessentur, atque semel cesset hac illorum in eos immitis contentio. - - - Absentiam vero suam à Regni Comitibus ita excusabant, quod, cum res ita ferret, ut nemo vellet à pristinis libertatibus & juribus discedere, aut postulationi Dominorum Consiliariorum, & Equestris Ordinis consentire, non potuerit plena potestas, mittendis Nunciis, ut, Majestas Regia voluerat, concedi: unde & frustra visum, mittendorum Nunciorum suscipi consilium vel electionem, quæ etiam fieri non potuerit, mandatum non habentibus Nobilium & Civitatum parvarum Nunciis (\*).

*Missæ eum  
in finem ad  
Prussos Lega-  
tio solen-  
nior.*

§. XIX. In Comitibus, Petricoviæ, sub initium anni 1544. habitis, Poloni modum expeditionis bellicæ, adversum Turcam cæterosque hostes sanxerant, ea tamen lege, ut & à Prussis reciperetur. Quod ut fieret, duo Episcopi, tresque Palatini, more plane extraordinario, à Rege in Conventum Mariæburgensem Legati missi, quorum opera tamen, provocantibus iterum ad Jura sua Prutenis, irrita fuit.

*Quid sub  
exordium  
Regiminis  
Sig. Augusti  
in Comitibus  
Petric. circa  
Unionem  
actum.*

§. XX. Manserat ergo eadem, quæ olim, Reipublicæ Prutenæ facies, cum Sigismundus I. mortalitatem exueret. Vix autem Sigismundus Augustus Regnum capessiverat, cum in primis, quæ Petricoviæ A. 1548. habebantur, Comitibus, Regni Cancellarius, qui ex Prussia vocati aderant, Consiliarios moneret, „ inirent jam arctissimam illam „ cum Regno Unionem; caperent in Senatu Polonico locum, „ cum, frequentarentque more Regnicolarum Comitibus: id „ merito ab iis exigi, cum Eidem cum Polonis obsequerentur Regi, ac Regni viribus defenderentur (\*\*). Prussii, scripto

(\*) Doc. T. c. p. 243. S.

(\*\*) Hist. Pruss. T. 2. p. 18.

scripto ad Regem directo regerebant. Grave & intolerabile nobis est, à Consiliariis Regni saepe abduci Principes nostros, ut nos & Status harum Terrarum, ad Regni Comitia advocent, jubeantque nos causas nostras coram Regni Senatu agere. Qua in re cum suspicemur, Majestatem Vestram, nondum satis edoctam de Privilegio nostro, quod disponit, causas notabiles dictas Terras concernentes, cum communi, non Regni, sed Terrarum predictarum, Consiliariorum consilio, tractandas, terminandas & definiendas esse, existimamus, Vestra etiam Majestati incongruum & indecens jam videri, ut neglecto Privilegio nostro, in causis Terrarum illarum, vel etiam aliis Regni negotiis, ad generales Conventus vocemur, habentes binos annuos nobis constitutos generales & legitimos in Prussia Conventus, ad quos Majestas Regia, occurrentibus negotiis, de quibus agendum nobiscum est, Nuncium suum, vel literas mittere, & mandata sua explicare, deque iis tractare nobiscum consuevit, quin & Ipsa coram Majestate Regia nobis constitutis, non aliter, quam in secessu nobiscum agere, juxta dictum Privilegium solet, quod Divus Vestrae Majestatis Parens exactissime semper observavit. At acrius instare Poloni; datam pro Serenissimo Filio Sigismundi Patris fidem urgere; quam nisi liberaret, Regi Regnum abdicaturos minitari. Non idem omnes agitabat fervor. Erant in Senatu plurimi, qui non impetu, sed mora, non solo arbitrio, sed rationibus, opus conficiendum suadebant. Quorum nomine, Joannem Tarnovium, Castellatum Cracoviensem, ita inter cætera locutum invenimus. *Equior Tarnovii sententia.* Quantum ad conditiones Regi præscriptas attinet, illas interpretandas censeo, ut expedit Reipublicæ. Quod ut expleat Rex, opus illi est, idoneo ad agendum tempore, neque subito coeunt regna, ac in unum quasi corpus redacta, eoale-

coalescunt. Opus ad eam rem est, & tempore & actione, non minus accurata, quam longa. Agendi prius sunt Conventus, vocandi Lithuani, conveniendi sunt Pruteni, accersendi Zatorii, denique orandi, monendi, ac omni ratione, ad id omnes sunt appellandi, ut consentire ad communem salutem velint cum Polonis, ad idem esse gente & lege cum illis. Quæ res neque unius diei est, neque unius actionis, neque hujus nostræ sessionis, ut tanta res dicto citius à Rege confici queant. Equidem hac mente conditiones illas à Sigismundo Patre, de Senatus sententia, Augusto Regi, datas fuisse memini, ut si Is nollet hanc curam suscipere, quo illius divisum imperium, quasi unum existat corpus, tum ea primo ab Illo animadvertenda injuria foret. At, cum Is summo studio ad id, quod promisit, incumbat, ad eamque rem tempus petat, quis tandem Illum conditiuncula pretextu removendum à Republica, & in aliud tempus differendum putet? est hoc quidem in Conditionibus, fateor, præscriptum, ut Rex ante omnia jubeat imperium, sed tamen ita intelligendum, est id, quatenus illi ad eam rem suppeditaverit non voluntas solum, sed etiam facultas. Libera enim Lithuania est, habet suas Leges Prussia, Zatoria etiam jure atque more divit suo. Quæ gentes cum imperiis atque Magistratibus, & à nobis & inter se distinguantur, ac ita juratum, ut sicut & nos, ad suas leges Augustum Regem habeant, non possunt ad hoc inviti cogi, ut depositis patriis moribus ac legibus, ad nostras leges moresque sese redigant: gratia id ab illis & precibus, non terrore, neque minis impetrandum est. Quæ sane res aperte ostendunt, ut expleat Rex conditiones, tempore illi opus esse longo & longa opera. Plena æquitatis ac moderationis oratio, ita Regi placuit, ut secundum eam se regnare, jus dicere, ac Reipublicæ providere velle, profiteretur (\*).

(\*) Orichovius Annal. p. 18, 19. edit, Lips.


§. XXI. Ex hoc, id potissimum curabat Sigismundus Augustus, ut Prutenos, ad ineundam Unionem permoveret, *di Augusti perficienda Unionis cura.* cumq; in finem anno 1550. eos ad instantia tum Comitum, Petricoviam evocabat, quo cum venire detrectarent, quid de Unionem illa sentirent, in Responso Legato Regio dato descriperunt: scilicet, *Unionem, ac insimul conjungendarum virium nexum, qui ab Equestri Ordine Regni, contra Prussicarum libertatum prerogativas & jura contenderetur, consultum, non videri, aliqua ratione inire, cum hoc Privilegiis, libertatibus, sancitis, ac antiquis consuetudinibus, à Majoribus illis servatis, per manus Posteris quasi traditis, plane adverteretur, & in extremam omnium reliquarum Prutenicarum Libertatum labefactionem & enervationem vergere necessum sit (\*)*. Exprobrabat iis hanc eorum absentiam Rex sequenti anno, simul ad alia vocabat Comitum, haud ulteriorem moram perficiendæ unionis concessurus. „ Id „ enim velle equestrem Ordinem Regni, ac ad præscriptum „ Privilegiorum contendere, Prussos eodem cum Regni- „ colis gaudere jure, ac, quod olim cum iis in unum corpus coaluere, ad paria onera teneri, earundemque Dignitatum capaces esse „ (\*\*). Hoc moti Prussi, Comitum constituerunt adire, antequam tamen id fieret, ex Conventu Mariæburgensi fiduciam suam testabantur, „ prudentia benignitateque Regiæ Majestatis provisum iri, ne „ quid contra Jura, Privilegia & libertates fiat, neve novi „ quid, contra harum Terrarum Ordines, ab Ordinibus Regni statuatur, supplices petentes, ut, quo Jure „ fuerint, superstitute Divo Parente Sacræ Regiæ Majestatis „ Ejus, eodem deinceps etiam esse possint, neque inusitata

C

„ ali-

(\*) Hist. Pruss. T. 2. Doc. p. 200

(\*\*) Hist. Pruss. T. 2. p. 62.



„ aliqua & inaudita suis Majoribus onera ferre cogantur,  
 „ cum nihil ejus generis commissum ab illis sit, quam ob  
 „ rem jure suo privari, & ad insveta onera adigi debeant,  
 „ quin potius, qua fuerint Majores eorum fide, studio &  
 „ & observantia, erga Sac. Maj. Illius Majores, eadem &  
 „ ipsi, & erga Divum Parentem Majestatis Illius, & erga  
 „ ipsam Majestatem Regiam, esse adeo non intermiserint,  
 „ ut accessisse potius, quam decessisse aliquid, ad pristinam  
 „ illam observantiam videri possit, quo majori etiam se spe  
 „ esse, facturam Illius Majestatem Regiam, ut Paternis vesti-  
 „ giis incedat, parique atque Illa clementia, Terrarum ha-  
 „ rum Ordines contra eos tueatur, qui jura libertatesque  
 „ illorum, omnibus viribus oppugnare conentur „ (\*). In  
 „ ipsis autem Comitibus, qui ex Prussia aderant, summo studio  
 „ laborabant, ne instituta de unione disceptatione, Decre-  
 „ tum, quod nisi adversum sperare haud poterant, sibi acce-  
 „ lerarent. Regis æquanimi- tati potissimum debetur, quod res  
 „ hæc in aliud tempus dilata: ac memorant illius anni acta,  
 „ Regem, instituto cum Episcopo Varmiensis, Hosio, secretiori  
 „ colloquio, causas quæsi- vissse, cur Prussi, oblatam cum Re-  
 „ gno arctiorem Unionem, tam anxie aversarentur, ac re-  
 „ ges- sisse Episcopum: „ duplicem esse Unionem, alteram  
 „ subjectionis & obedientiæ, alteram Jurium. Quod si il-  
 „ lam, quæ populos, cæterum diversos, sub eodem Prin-  
 „ cipe junxit, Poloni intelligant, Prussos ex quo ad Regnum  
 „ accesserunt, non solum constanter in eadem fuisse, sed &  
 „ æternum futuros; sin vero hanc, eandem non posse  
 „ fieri, nisi Jura, quæ Prussis hæcenus peculiaria, tollantur. „  
 „ Qua explicatione, quid unione sua intendant Poloni, edoctum  
 „ Sigismundum Augustum, operam, quam hæcenus, servandis  
 „ suis

(\*) Doc. T. c. p. 21.

suis juribus, impenderant Pruteni, laudasse, memoriz pro-  
 ditum est (\*). Quod suo tum Episcopus Varmiensis Regi  
 dixerat, mox universæ Provinciæ nomine, habita ad Ejus  
 Majestatem Mariæburgi oratione, perorabat. Quod Sac.  
 Maj. Vestra, inquires, nos unionis cum Regno admonere di-  
 gnata est, fatemur ingenue, quid sibi velit hæc Unio, nos non  
 assequi. Nam, si hoc à nobis exigitur, ut simus ejusdem  
 corporis membra, esse nos confitemur, neque caput aliud in  
 terris agnoscimus, quam Sacram Maj. Vestram, & Regnum  
 Illius, omnia prius & facere, & pati parati, quam, ut vel  
 ab Illa, vel ab Regni Illius corpore, nos unquam avelli pa-  
 tiamur, non concessuri mortalium cuique, ut salvam magis  
 velit Sacram Maj. Vestram, & Regnum Illius, quam quan-  
 tum nos id cupimus, neque fortunis, neque sanguini nostro  
 parsuri, si qua id visa fuerit necessitas postulare. Sin autem  
 hoc à nobis contenditur, ut in eo jure vivamus in Terris Ve-  
 stre Sacra Majestatis Prussię, cum quo se, atque illas, Majores  
 nostri sponte sua, Divo Casimiro, Avo Sacra Maj. Vestre, tra-  
 diderunt, quam sit hæc equa eorum postulatio, qui sunt ejus-  
 dem corporis membra, Vestre Sac. Majestati judicandum re-  
 linquimus. Quamobrem, concludebat Episcopus, supplices  
 à Sacra Maj. Vestra petimus, quo jure, Divo Casimiro, Avo  
 Sacra Majest. Vestre, Terras istas Prussię, Majores nostri,  
 nulla vi adacti, summa sua voluntate tradiderunt, in eo nos  
 tueri & conservare, neque locum eis dare velit, qui nullo  
 merito nostro, nullaque à nobis injuria provocati, nescimus,  
 qua de causa, jura nostra, tanto studio nobis labefactata cu-  
 piunt, cum tamen non eo animo, Majores nostri, ad Regni se  
 corpus adjunxerunt, quod detractum aliquid Juribus & liber-  
 tatibus,

C 2

(\*) HiR. Pruss. T. c. p. H.

*tatibus, verum, quod accessionem aliquam potius ad eam factum iri, persuasum haberent (\*)*.

*Prussorum  
de servand  
antiqua  
unione soli-  
citus.*

§. XXII. Frustra hæc dicebantur. Etenim Rex, solam Polonorum voluntatem prætexens, Prussos, pro con-  
ficienda unione, ad singula fere Comitia vocare pergebat, donec A. 1562. terminum, quasi peremptorium, figeret, Decretum, absentibus licet Prussis, laturus, prospecturusque quo licet inviti ad unionem compellantur. Hoc moti Prussi, suos ad Comitia ablegabant, haud tamen alium in finem, quam ut repetitis, quæ in medium aliquoties prolatae erant, rationibus, invisam illam unionem amolirentur. Longum foret, quæ in his Comitiiis, in quibus, ut fatebatur Regni Cancellarius, plus furenti Equestris Ordinis multitudini, quam rationi tribui oportebat, acta, recensere: fusius illa in Historia Prusica (\*\*)

enarrantur. Id saltem notare libet, Prussos in unionem aliquam novam nequaquam consensisse, sed contradictione solenni interposita, antiquum cum Polonia nexum, salvum sibi servasse. Nova igitur adeunda Comitia, Prutenis nequicquam querentibus: „ Juribus, Privilegiis, libertatibus, usitatis vetustisque consuetudinibus, „ bellum indici „. Eadem, quæ antea Ablegatis dabantur mandata, ad quæ adeo exarserunt Regni Senatores, ut Prussos læsæ Majestatis reos arguerent, quasi tam atrox crimen esset, avitam libertatem tueri. Cæterum executio Statuti Regis Alexandri, de reducendis ad mensam Regiam, quæ alienata erant, bonis, cui Prussi inviti plane subiciebantur, ita occupabat in Comitiiis Varsoviensibus, A. 1563. omnium animos, ut unio in aliud tempus differretur.

§. XXIII.

(\*) Doc. T. 2. p. 23.

(\*\*) T. 2. p. 225. f.

§. XXIII. Res usque ad Comititia Lublinensia, anni 1569. protracta. Aderant, præter Ordinis Equestris ac Civitatum minorum Nuncios, Consiliarii, at hi, non, ut olim, Provinciæ, sed, quod novum erat, suo tantum nomine. Consiliarii ad sessionem in Senatu vocabantur, qui octodecim rationibus ostendebant, se ad Senatum Polonicum minime pertinere, additis precibus: „ ne rebus novis vis onerentur, sed potius secundum Jura & antiquas consuetudines, libertates, immunitates, quas apud omnes Reges Poloniæ, conjuncta manu obtinuerint, conserventur. In his enim, post DEUM optimum maximum, ipsorum salutem & solatium unicum verti, cum Libertas cujusque sit altera vita, ne cum summa animorum exacerbatione, & sua, ac Posterorum ignominia priventur. Eadem ratione, se à Sacra Regia Majestate, humillimis precibus contendere, ne ab executione in hac causa, exordium facere velit, sed re bene deliberata, num ad eam sessionem pertineant, nec ne, legitimum Processum inchoare dignetur, ut prius initium actionis fiat, quam executio demandetur, & ut Sac. Maj. Reg. quosdam ex Consiliariis suis, clementissime designare dignetur, cum quibus Pruteni colloqui, & rem omnem probe ponderare possint, quo facto, citius & melius, res omnis ad optatum finem, sine mora & temporis jactura perducatur „ (\*). Nominabat Rex ex Senatu, qui cum Prutenis de sessione, cæterisque, quæ fieri volebant Poloni, privatim agerent. Hi scriptum iis exhibebant, quo allatas contra sessionem rationes, confutare conabantur, cui *Replicam* opponebant Pruteni, eamque in publico Senatorum confessu, Rege præ-

*Quid in  
hanc rem  
in Comititia  
Lublinensibus actum.*

*Decretum  
Regium ibi-  
dem in  
Prussos la-  
tum.*

præfente legebant. Secuta tum de genuino caufarum notabilium, quæ in Pacto Deditionis Prutenicæ memorantur, fenfu difceptatio, de quo, cum partes convenire haud poffent, rem Regiæ decifioni Poloni fubmittebant, fatis perfuafi, non eam à mente ipforum alienam fore. Hoc memorabile illud Decretum, quod, quia Lublini publicatum, Lublinenfe vulgo dicitur, Pruffis conflavit, in quo Rex ftatuit: „ Confiliarios Terrarum Pruffiæ, effe Confiliarios „ Regni, inque Senatu Regni locum habere, & vocatos à „ Regibus Poloniæ, in medium confulere votaue & fuffragia in Senatu Regni, cum Confiliaris ejusdem Regni „ ferre teneri, tam de negotiis Terras Pruffiæ, quam etiam „ Regni, cum fint unius individuiq; corporis membra, concernentibus: eodem modo & Nuncios Terrarum Pruffiæ, „ inter Nuncios Regni locum habere, una cum iisdem de „ rebus ejusmodi fimiliter in commune confulere. Proinde Rex, vigore hujus Decreti „ injungebat atque præcipiebat, ipsis quidem Confiliariis Terrarum Pruffiæ, ut „ loca fua omnino inter Confiliarios Regni, fimiliter & „ Nunciis Terreftribus Terrarum Pruffiæ, ut loca itidem „ fua, inter Nuncios Terrarum Regni capiant, deque negotiis & Neceffitatibus Reipublicæ, Regni & Coronæ, „ unanimi & concordi confilio confulant: pœna in eos, „ qui mandatis & juffui Regio, tum & debito officii fui „ fatisfacere noluerint, additâ, fcilicet, Confiliarios Senatoria „ Dignitate, & quolibet officio privandos, atque hac ratione vacantem dignitatem, & quodvis munus in eos, qui „ huic Decreto morem gelferint, conferendum: Nuncios „ vero ad omnia, quæcunque in generali Conventu Regni „ fancita fuerint, cum omnibus incolis Terrarum Pruffiæ, „ fervanda & fufiinenda adductum iri: ita, ut in hoc „ uni-

„ universa tam commoda, quam onera, non secus atque  
 „ ipsi Regnicolæ, ferre ac præstare teneantur (\*) „.

§. XXIV. Æquitatem hujus Decreti, ad examen vo-  
 care superfedeo, cum hoc egerit *Lengnichius*, in singulari Dis-  
 fertatione, quam Tomo II. Hist. Pruss. præmisit. Illud no-  
 tasse, ad scopum nostrum sufficit, Regem Sigismundum  
 Augustum, una cum Regni Consiliariis, Anno demum 1569.  
 statuisse; primo, Terrarum Prussiæ Consiliarios, simul esse Re-  
 gni Senatores, ac in Senatu Polonico, Nuncios vero Terra-  
 rum Prussiæ, inter Nuncios Regni, locum habere; deinde,  
 Prussos Regni Comitibus adire, ibidemque una cum Ordini-  
 bus Regni de Negotiis, tum Prussiæ, tum Poloniæ, consul-  
 tare teneri; tertio, quæcunque in Comitibus Regni sancita  
 fuerint, simul in Prussia servanda; denique, Prussis cum Po-  
 lonis eadem esse onera, eadem commoda. Inde sequitur,  
 ante Decretum hoc, juncta licet Poloniæ jam quindecim  
 supra centum, annis Prussia, Prussos neque in Senatu Polo-  
 nico, neque in Conclavi Nuntiorum locum habuisse; Co-  
 mitibus Regni haud frequentasse, multo minus de rebus,  
 quæ Polonos respicerent, in medium consuluisse; Prussiam  
 non Polonorum, sed suis Legibus vixisse, ac Nostrates, tum  
 prærogativis, tum oneribus, ab Incolis Regni distinctos  
 fuisse. Quæ si cum Conditionibus (\*\*), quibus Regi  
 Casimiro deditionem fecit Prussia, conferantur, cuilibet  
 patet, Provinciam olim non alio modo Regno junctam,  
 quam ut sub eodem Rege, ad peculiarem normam rege-  
 retur.

*Qua circa  
 Decretum  
 hoc notan-  
 da.*

§. XXV.

(\*) Doc. T. c. p. 196. 197.

(\*\*) Vid. §. 3.

*Prussorum  
adversus il-  
lud Contra-  
dictiones.*

§. XXV. Lecto in Senatu Decreto, intercedebant (\*) cum Nobilitatis minorumque Civitatum Nuntiis, Prusis Consilarii, obnixè rogantes. „ ne per præsentem „ actum, ad invisendos omnes Regni Conventus, adque „ Sessionem obligentur, sed ut penes Jura & consuetudines „ suas, clementissime conserventur, ne etiam, quæ in præ- „ teritis Regni Comitibus conclusa & decreta sint, vel in fu- „ turis Conventibus conclusa & decreta fuerint, sibi, vel „ iis, quos domi reliquerant, præjudicium aliquod pariant, „ quibus nec ipsi, nec Antecessores ipsorum consensum „ unquam accommodaverint, neq; sine Consensu omnium „ Statuum, & domi relictorum fratrum, consentire possint. „

*Cui tamen  
Equestris  
Ordinis Con-  
siliarii ob-  
temperant.*

At obliti mox contradictionis suæ, Equestris Dignitatis Consilarii, non solum cum Regni Senatoribus in medium consulebant, sed &, Decretum Lublinense perpetuo observaturos, sacramento se obstringi patiebantur (\*\*). Hoc etiam tempore, Episcopis, Palatinis & Castellanis Prusis, certa, quæ in posterum in Senatu occuparent loca, assignata sunt (\*\*\*). Major Civitatum ac Nunciorum Terre- strium integritas, qui consultationibus Polonorum sollicitè abstinebant, ne factò Contradictionibus contrario, Sancitum Lublinense probare viderentur.

*Non eadem  
ceterorum  
Ordinum  
facilitas.*

*Regni Ordines,  
novo  
plane more,  
Prussis tri-  
butum im-  
perant.*

§. XXVI. Poloni contra, toti in eo erant, ut omnia ad amussim Decreti fierent. Cum enim hætenus Prussi non nisi in Conventibus suis, libero suffragio, contributiones scivissent, in modo memoratis Comitibus, exemplo inaudito, Regni Ordines,

(\*) Protestationes hæ, ut vulgo dicuntur, exhibentur in Doc. Tom. c. p. 197. f.

(\*\*) Hist. Pr. T. 2. p. 393.

(\*\*\*) V. Appendicem Constitut. Comit. Lubl. sub tit. Pozzдық Rady koronney.

dines, quod sibi constituebant subsidium, simul Prussiae imperabant, singulis Palatinatibus Exactore, qui pecuniam reciperet, nominato. Quid de hoc facto senserint Nostrates, eorum verbis exponam. *Contributio*, inquit, in literis ad Regem ex Conventu Thorunensi datis, *Con-* Cui Prusse obloquun-  
*liarii, quam Sac. Reg. Maj. Vestra, cum Ordinibus Regni, in* tur.  
*Lublinensibus prateritis Comitibus sciscere, atque statuere di-*  
*nata est, ea ratione & conditione, ut etiam ad Terrarum Prus-*  
*siae Ordines absentes & non consentientes pertineret, non potuit*  
*subditos Majestatis Vestrae Regiae, incolas Terrarum Prussiae,*  
*non summo dolore ac mœrore afficere, quod contra Consuetu-*  
*dinem vetustam & hactenus usitatam, in Terris Prussia impe-*  
*rata, cum antea Majestas Regia, uti Illius Majestatis Majores,*  
*per Legatum suum, ab Ordinibus Terrarum Prussiae, ipsorum*  
*mutuo & spontaneo consensu accedente, semper Contributionem*  
*soleret obtinere. Cum itaque Ordines Terrarum Prussiae*  
*à nobis postulassent, ut ad Regiam Majestatem Vestram, ea,*  
*de re perscriberemus, Eidem Majestati Vestrae, & ceterorum*  
*Ordinum Terrarum Prussiae nomine, humiliter supplicamus,*  
*ut ejus Contributionis, ita in nos constituta, actionem, aut*  
*amovere à nobis, pro gratia & clementia sua Regia, omnino*  
*dignetur, aut certe, si id obtineri non possit, saltem differatur,*  
*ut ejus Contributionis severitas consona legibus & consuetu-*  
*dinibus nostris efficiatur, & Maj. Vestrae Clementia, & Ord-*  
*inum harum Terrarum consensu (\*) .*

§. XXVII. Hoc modo, antiqua quasi abrogata, nova Opera Prus-  
inducta unio. Prussi, more Polonorum, frequentare Re- forum, ut  
gni Comititia, horum sancitis, citra consensum licet, subji- ea, qua De-  
novumq; Conventuum genus, ante-Comitiales vocantur, creto Lubli-  
nensi sibi im-  

D
con-

posita, amo-  
lirentur.

(\*) Doc. T. 2. Hist. Pr. p. 200.

*Quid eum  
in finem ipso  
Sigismundo  
Augusto,*

constitui. Dolebant prisca status everfionem omnes boni, curabantque, ut in integrum reftitueretur, Regia clementia Polonorumque patrocínio invocato, cum nullum ex legibus auxilium fperarent. Rex facultatem fibi deeffe prætexens, à Regni Ordinibus medelam expectare jubebat: hi reftaurationem libertatis, quatenus eam Jura Regni permitterent, frigide pollicebantur. Verba, quæ imprudentibus fpeciofa videri poterant, re tamen inania. Æquior unus ex Nunciis Terreftribus Poloniæ, qui cæteros Ordines objurabat, Prufforum à fingulis Regibus confirmata Privilegia, ad Normam Conftitutionum Polonicarum velle metiri: negabat, poffe in Comitibus ftatui, quod illorum Jura infringeret, Tyrannidemque, ac rationi legibusque contrarium nominabat, fi quis talia auderet (\*). Non tamen hoc Prufforum caufam juvabat, qui, cum cæteram operam perdidiffent, nova Contradiétione, jura fua tueri fatagebant (\*\*).

*dein Hen-  
rico,*

§. XXVIII. Inter hæc, Sigismundus Auguftus, morbis confectus, Kniffini exspirabat, ac Pruffis fpatium recolligendi dabat, donec Succeffor eligeretur. In primo, qui tempore Interregni, Mariæburgi habebatur, Conventu, quærebant ex Equeftris Ordinis Confiliariis, majores Civitates, num ad antiquam fub Cafimiro conftitutam, an vero ad Lublinenfem unionem fe componere velint. Ambigui aliquantifper Confiliarii, donec declararent, nihil pro confervatione jurium non acturos; addebat fuo nomine Palatinus Mariæburgenfis, non aliam fe agnofcere unionem, quam

(\*) Hift. Pr. T. 2. p. 417.

(\*\*) Doc. T. c. p. 206.

quam illam, qua post deditionem juncta sit Regno Prussia (\*). Præterea, Provinciam nostram, non aliis, quam suis velle vivere legibus, datis ad majoris Poloniae Proceres literis, ad mentem omnium Ordinum Consilarii testabantur. *Ad ea edicta, inquit, quæ pro publica tranquillitate tuenda, per Poloniæ ex Senatus Regni auctoritate passim sunt divulgata, nos sane, quamquam illa ex commodo Reipublicæ, sancita esse non diffiteri, neque satis magnis laudum præconiis, vigilantiam atque fidem Senatorum Regni efferre possimus, ea tamen edicta per Prussiam proclamare, librisve publicis insinuare, propterea nobis non est integrum, quod non modo antiquissimæ consuetudines obstant, verum ea quoque sit nostrorum Jurium, libertatum ac Privilegiorum vis, ut nihil nobis recipere, nedum publicare liceat, nisi quod communi omnium Prussiæ Consiliariorum consensu sit deliberatum atque decretum (\*\*).* Nec recentiore illam unionem, obviscebantur Prussiæ Ordines, cum pro restituendis suo vigori Juribus, certa capita à futuro Rege confirmanda conscriberent. Huc enim spectat §. 5. in quo, novi Principis nomine, ita locutos invenimus: *Cum ea Privilegii Terrarum Prussiæ verba, quibus Divus Casimirus, prædictas Terras, Regno Polonia reintegravit, reunivit & incorporavit, contra libertates & consuetudines Prussiæ fuerint intellecta, novaque unio introducta, contra præscriptum & plurimis annis receptum sensum Privilegii Terrarum, antiquam unionem in omnibus restituimus, redintegramus, quam etiam Nos, Hæredesque & Successores, perpetuo tuebimur & servabimus, abrogatis omnibus rescriptis, responsis, decretis, declarationibus quibuslibet in,*

D 2

gene-

(\*) T. 3. Hist. Pr. p. 5. 6.

(\*\*) Doc. T. c. p. 3.

*genere, aut in specie insuper publicatis, aut publicandis (\*)*. Circa hoc etiam, in Comitibus Coronationis Henrici Andegavensis, omne Prussorum versabatur studium, ut recentiori unione abrogata, vetus Reipublicæ rediret facies (\*\*). *Sed ea, Prussorum verbis utor, illorum pro dolor! habita-* fuit ratio, ut, *sive temporum iniquitate, sive adversariorum conatu obsistente ne quidem responsum impetrare potuerint.*

*deniq; Ste-*  
*phano re-*  
*gnantibus*  
*egerint.*

§. XXIX. Præceptum Henrici ex Polonia abitus, non sinebat inflicto, sub Sigismundo Augusto, Prutenæ libertati vulneri, manum admove. Servata hæc cura Stephano Transylvano, cui in Comitibus Thorunensibus, Anno 1576. Ordines exponebant, Terras Prussiae, ratione Privilegiorum, longissimo continuoque usu, à Comitibus Regni immunes fuisse, ac Decretum Lublinense, non ex controversia partium, imò contra crebras protestationes Statuum & Ordinum harum Terrarum, latum esse: obsecrabant igitur, ut Regia Majestas, Privilegiorum & longissimæ consuetudinis rationem elementissime habere dignaretur (\*\*\*) . Idem, ut efficerent, iis, qui A. 1578. ad Comitibus Varsoviæ proficiscebantur, commissum: & cum Regni Ordines, vocato ad partes Lublinensi Decreto, obstarent, responsum iis, : Prussos allegatum Decretum minime afficere; iis enim invitis, nulla ratione, nulla æquitate, sub nudo Decreti titulo, obtrudi posse, quod contra Pacta conventa, literis atque sigillis multipliciter firmata, ac Sacramenti religionem roborata, denique contra id, quod semel utrinque placuerit, ratum, gratum & firmum habitum fuerit, Prussis semper contradicentibus.

37 pro-

(\*) Doc. T. c. p. 15.

(\*\*) Hist. Pr. T. c. p. 77. f. ubi & scripta eum in finem Regi exhibita, resensentur V. etiam Documenta ejusdem Tomi, p. 24. f.

(\*\*\*) Doc. T. c. p. 65.

„ protestantibus ac repugnantibus, nulla præcedente culpa  
 „ aut meritis, nulla æquabili ratione ac modo, in volentes  
 „ nolentes statutum, nec unquam ab iis receptum sit; cum,  
 „ quod semel in aliquem recte atque ordine, ex merito  
 „ præsertim collatum, ejus auferendi nulla sit honesta ra-  
 „ tio, nihilque in rebus humanis, firmum ac stabile futu-  
 „ rum, si ea, quæ semel pactis conventis firmata, quocun-  
 „ que quæsito colore aut prætextu, altera parte invita, re-  
 „ texti debeant „ (\*). Disputatum deinde aliquoties, de  
 auctoritate hujus Decreti, inter Prussos ac Polonos: sed  
 cum illi multitudine, non rationibus vincerentur, quod  
 semel, licet male, constitutum erat, legis instar perpetuo ob-  
 tinuit.

§. XXX. Præstat recensere, quid imperata Lublini *Quid Unio*  
 Unione, in veteri Prutenici Regiminis Norma immuta- *Lublinensis*  
 tum, quid integrum manserit. Quod Prussi Regni Comi- *effecerit.*  
 tia adeunt; quod Episcopi, Palatini & Castellani, in Senatu  
 Polonico, Equestris Ordinis ablegati, in Conclavi Nun-  
 ciorum sedent; quod denique cum Regni Ordinibus, in  
 commune consulunt; id Decreto Lublinensi debetur. Licet  
 enim Nostrates assererent, inde tanquam ex equo Tro-  
 jano, omnes errorum tenebras, omnesque, quæ mirum  
 in modum Provinciam premerent, difficultates prodiisse, &  
 ortum traxisse (\*\*): licet quererentur, se aut raro, aut nun-  
 quam ex Comitibus domum redire, nisi cum Privilegiorum,  
 libertatum, Jurium & immunitatum diminutione, & sum-  
 mo præjudicio, ac perinde esse, five adsint, five absint,  
 cum nulla pene votorum Prutenorum, tanquam paucorum

D 3

habea-

(\*) Doc. T. c. p. 74.

(\*\*) Doc. T. 3. Hist. Pr. p. 27.

habeatur ratio, neque semper, quemadmodum in libera Republica fieri debeat, liberæ relinquuntur voces (\*): licet etiam Henrico & Stephano, Regibus, supplicarent, ut vetus consiliorum forma restitueretur, nihilominus ea, quæ modo memoravi, in perpetuam abiire consuetudinem.

*Non omnes  
Prussie Or-  
dines inter  
Regni Ordines  
relati.*

*Quid de  
Civitatibus  
minoribus  
notandum.*

§. XXXI. Sunt tamen plura, quæ priscum morem referunt. Principio, non omnes, qui in Prussia Ordines audiunt, Regni Ordinibus accensentur; Succamerarii (\*\*) enim & Civitates tum majores, tum minores, neq; in Senatu, neque in Conclavi Nunciorum locum habent, sed sua prærogativa, non nisi in Prussia & inter Prussos gaudent. Dantur ergo in Prussia Ordines, quorum alii simul Regni, alii tantum Provinciæ Ordines sunt; quod de nullo Palatinatu Polonico asseri potest. De Civitatibus minoribus objici posset, perperam illas in numerum Ordinum referri, cum in Conventibus Terrarum Prussiæ, neq; suffragio, neq; sessione gaudeant. Ad quod respondeo, non esse sermonem, de ea minorum Civitatum conditione, ad quam hodie, solo Nobilitatis arbitrio redactas videmus, sed, quæ ipsis, jure, antiqua consuetudine, & Regia voluntate competit. Ut cætera omittam, anno 1655. in Conventu Mariæburgensi, per Oratorem suum *declaravit* Rex Joannes Casimirus: *quoniam Civitates minores, per literas S. R. M. juxta Jura & Consuetudines antiquissimas, ad Conventus Terrarum Prussiæ legitime vocentur, ideo Internuncios earum, ad Consilia eorundem Conventuum, sine ulla præpeditioe admitti, & ab iisdem nullatenus debere excludi (\*\*\*)*.

§. XXXII.

(\*) Doc. T. c. p. 44.

(\*\*) Loquor de iis, quatenus sunt pars Consilii Prutenici.

(\*\*\*) Add. Lengnichii Norma Reg. Prut. §. 28.

§. XXXII. Qui Nobilitatis nomine ad Comititia *Nuncii ex*  
 proficiscuntur, non unius Palatinatus, sed totius Provinciæ *Prussia, ge-*  
 Nuncii audiunt, mandatoque generali, quod totam Prus- *nerali man-*  
 siam respicit, instruuntur. Qui mos, ex illo tempore, quod *dato, & ex*  
 Lublinense Decretum antecessit, ad nostram usque ætatem *generali Con-*  
 servatur, & licet olim per aliquot annorum spatium inter- *ventu, ad Co-*  
 ruptus, restitutus tamen (\*), quoniam Majores crederent, *mitia Regni*  
 hoc se medio priscæ libertatis reliquias tueri posse. Inde *mittuntur.*  
 non mittuntur Nuncii, quoties generalis Conventus ante-  
 Comitialis irritus fuerit, ac nefas habetur, si quis ex parti-  
 culari Conventu, ac unius Palatinatus mandato instructus,  
 Comititia adeat. Testantur Annales, cum in Comititiis anno  
 1593. Nuncii ex Palatinatu Culmensi, ad mandata sui Pa-  
 latinatus provocarent, graviter id iis Palatinum Culmen-  
 sem exprobrasse, eosque adegisse, ut se ad generalem In-  
 structionem componerent (\*\*). Cum anno vigesimo, su-  
 perioris seculi, Nuncii, ex particularibus Conventibus,  
 particulari Palatinatum mandato instructi, ad Comititia  
 irent, Civitates majores, solenni contradictione, coram  
 actis Civilibus oppidi Radzinensis, intercesserunt, ideo, ,,  
 ,, quod, *ut loquuntur*, in Palatinatibus Terrarum Prussiæ,  
 ,, nonnulli è Nobilitate Terrestri, suo arbitrio consulta-  
 ,, tiones, absque auctoritate S. R. Maj. & sine præsentia  
 ,, Dominorum Consiliariorum Terrarum Prussiæ, præpostere  
 ,, instituerint, & contra Juris communis, in hisce Terris  
 ,, Statibus & Ordinibus præscripti, tum & adversus con-  
 ,, suetudines, ab antiquis temporibus receptas, perpetuam  
 ,, observantiam, causas notabiles præfatas Terras, univer-  
 ,, samque Rempubl. concernentes, tractare & terminare

n præ-

(\*) Hist. Pruss. T. 4. p. 103.

(\*\*) Hist. Pruss. T. 6. p. 155.

„ præsumserint, suasque assertas Conclusiones, deputatis  
 „ suis Nunciis, ad instantia Regni Comitia, in vim Instru-  
 „ ctionis injunxerint „. Et anno 1670, quod Generalis  
 Conventus Ante-Comitialis irritus, Nunciis ex Palatirati-  
 natibus Prussiæ, in Comitiiis *activitatem* negatam inveni-  
 mus, quod jam olim anno scilicet 1625. contigerat.

*Prussorum  
 autonomia.*

§. XXXIII. Circa modum consultandi, duo ob-  
 servanda veniunt. Unum, Regni Ordines in Prussos, vel  
 absentes, vel invitos, nil posse statuere; alterum, ipsis Prus-  
 sis non esse integrum, in Comitiiis quicquam definire, nisi,  
 quod in Generali Conventu ante Comitiali ratum fuerit.  
 Utrumque ex capite Pacti Deditionis, quod de causis nota-  
 bilibus agit, deducitur, utrumque, servasse sibi Prussos ve-  
 terem illam autonomiam arguit. In articulis, qui post obi-  
 tum Sigismundi Augusti, pro futuro Rege conscripti sunt,  
 §. 7. legitur: *Item à Statutis, Legibus, Constitutionibus,  
 Decretis, & Consuetudinibus Regni, perpetuo immunes erunt  
 (Prussi), nec Statutum Divi Alexandri, unde executio de-  
 scendit, nec, si quid præterea vigore Constitutionum, Decre-  
 torum, aut Consuetudinum Regni est introductum, vel im-  
 posterum introducetur, Terras Prussiæ obligabit (\*)*. Quodsi  
 ergo Regni Ordines, in Prussos quid decernant, hi aut sta-  
 tim in Comitiiis, aut in Conventu suo post Comitiali con-  
 tradicunt, simulque Regem orant, ne, Provinciam alienis  
 legibus submitti, patiatur. Exempla passim occurrunt, im-  
 primis An. 1578. 1591. 1606. 1607. 1647. 1652. 1653. 1654.  
 1655. 1667. 1671. 1685. &c. Quid autem à Prussis in Co-  
 mitiiis fieri debeat, id data iis Instructio ostendit, quam si  
 neglexerint, fines mandati migrasse dicuntur, nec potest

eo-

eorum culpa integra Provincia, ad illa, in quæ ante non consensit obligari. Hoc, ut melius constet, dabo Contradictionis formulam, quam Prussiæ Ordines, in Conventu post-Comitiali A. 1671. publicarunt. *Notum testatumque facimus, inquit, quod, cum in proxime præteritis Regni Comitibus generalibus, quo potissimum tempore, ex his terris, ob ruptum præcedentem Comitium Conventum earundem generalem, nulla auctoritate publica Nuncii instructi, vel ablegati fuerunt, Constitutiones nonnullæ, Provinciæ sive harum Terrarum Juribus præjudiciose, in volumen Legum relatæ sint, proinde contra hujusmodi Constitutiones omnes, quæcunque his Terris præjudiciose sunt, quo minus vigor illarum, in easdem extendatur, auctoritate Conventus præsentis, Laudi nostri vigore protestamur.*

§. XXXIV. Singulare est, quod de *Contributione* Tributæ non notatur, Polonos in Comitibus, Prussos contra, non, nisi in nisi in generalibus Conventibus suis generalibus, publicam pecuniam sciscere. Inde in *Instructionibus* ad Comitium, frequens loquendi modus: ut Nuncii, totum negotium sciscendæ & modificandæ Prussiæ Conventibus sciscuntur. *Contributionis, ad Conventum generalem Statuum & Ordinum Terrarum Prussiæ, more semper usitato, sumant, eosdem sub fide, honore, & conscientia obligamus.* Imperare igitur extra Conventum, sive Constitutione Regni, sive alio modo pecuniam, non solum inter publica gravamina relatum est, sed & Ordines pendere eam detrectarunt. Hinc in Resp. Leg. Reg. in Conv. Gaud. A. 1612. dato, queruntur, „ magnam sibi illatam esse injuriam, eo, quod con- „ tra mentem & expressam declarationem Nunciorum suo- „ rum, in universalibus literis Regni, dupla Contributio, „ non secus, ac si consensus eorum intercessisset, inscripta „.

Et anno præsentis seculi duodecimo, Nunciis suis ad Comitiam, in mandatis dederunt: „ exponerent S. R. Majestati, „ insignem, quem per læsa Jura Cardinalia sentiant dolo- „ rem, dum, licet Conventus generalis obtineri potuerit, „ nihilominus in privato congressu, tam anno præterito, „ quam præsentī, sine Illis in Illos, contra normam & for- „ mam Contribuendi solitam, non indicto à S. R. Maje- „ state Conventu, nescitur qua auctoritate, insupportabi- „ les Statibus & Ordinibus indictæ Contributiones, quarum „ postmodum gravissima militaris instituta executio, si- „ mulque insignis pecuniæ summa, sub nomine quitowe & „ groszowe extorta. Urgerent itaq; Nuncii, ibi, ubi opus esset, „ ut exactarum toties Contributionum ratiocinia reddan- „ tur, ac ne in futurum aliquis similia attentare audeat „. Non semper inter querelas substituerunt Ordines, sed sæpe indignationem solenni Contradictione extare voluerunt. Anno sexto superioris seculi, ex Prussia in Comitiiis præsen- tes, dato ad Judicium Castrense Varsoviense scripto, testa- bantur, „ quod in dictis Comitiiis Contributionem nullam „ promiserint, imo nec potestatem promittendi habuerint, „ sed totum hoc negotium, juxta antiqua Jura & Conve- „ tudinem Terrarum Prusiæ, ad reliquos Status & Ordines „ Terrarum Prusiæ, vigore instructionis suæ receperint, „ Quo circa, si quippiam in contrarium, à quibuscunq; „ iis „ renitentibus, statuatur, se in eo ratione Contributionis „ publicæ contradicere, & nullo modo ad eam obligari posse, „ aut velle, atque ideo tam Senatores Civitatesque Terra- „ rum Prusiæ, quam Terreſtres Internuncios, totius Provin- „ ciæ nomine, iterum iterumque solenniter contra prote- „ ſtari „. Idem anno, quem jam memoravi, 1712. in Conventu Graudentinenſi factum, in quo Ordines „ consu- „ lendo

„lendo indemnitati Jurium & Consuetudinum Terrarum  
 „& Civitatum, Laudo Manifestationis, contra indictio-  
 „nem Contributionum, extra Conventum genera-  
 „lem sancitarum, modo de Jure firmissimo protestari-  
 „tur, omnino volentes, ne imposterum ulla ratione in  
 „sequelam indebitus ille modus trahatur, sed memoria  
 „ejus, salva calculatione ratione extortarum summarum,  
 „penitus aboleatur „. Et sequenti anno, in Conventu Ma-  
 „riæburgensi statuebant „, ut imposterum assignationes, ra-  
 „tione solvendarum in hac Provincia Contributionum,  
 „à nemine alio, quam à Thesaurario Prusiæ, & ab hoc,  
 „de nullis aliis, quam unanimi Consensu in Conventu Ge-  
 „nerali laudatis, & jam collectis contributionibus extra-  
 „dantur, & sicubi assignationes aliæ vel aliter extradantur,  
 „pro nullis habeantur. Si vero aliqui præsumperint, assi-  
 „gnationum indebitarum executionem, in Terris & Civi-  
 „tatibus suscipere, Dominos Palatinos serio obligabant, ut  
 „in omnem eventum, mota etiam Nobilitate, ejusmodi  
 „contravenientes coerceant & reprimant „.

§. XXXV. Præterea, habent Prussi peculiares, aliosq; *Modi con-*  
 ac Poloni, contrtribuendi modos, qui in *Laudis*, ut vocantur *tribuendi*  
*Contributionum*, describi solent. Quare non tantum *sciscen-* *Prussis pe-*  
*dæ*, sed & *modificandæ Contributionis Negotium*, præsentibus *culiaries.*  
 ex Prussia in Comitibus Nuncii, Suis integrum servant. Im-  
 perante Stephano, discrimen hoc, Ordines Regni tollere  
 conati sunt, verum Prussi testabantur, „ se hanc novam  
 „Contribuendi rationem, salvis Libertatibus & Privile-  
 „giis suis, recipere non posse (\*), „ : ac ex Conventu Grau-  
 dentinensi, A. 1578. ad Regem perscribebant, „ non  
 E 2 „ posse

(\*) Hist. Pruss. T. 3. Doc. p. 77.

„posse laboranti tum Livoniæ, commodius medicinam  
 „afferri, quam si secum extra Comitia, pro more & Con-  
 „suetudine hætenus in Terris Prussiæ, ex vi Privilegiorum &  
 „libertatum observata agatur, cum non æqua sit Regni-  
 „colarum cum Prussis contribuendi ratio, nec unquam à  
 „Divis|Majestatis Regiæ Antecessoribus, ob dissimilitudinem  
 „illam instituta, sed Ordinibus Prussiæ, suum semper mo-  
 „dum, suam contribuendi rationem relictam esse (\*), „.  
 Posteriori ætate, Prussos, exigi à se ad receptos in Polonia  
 modos pecuniam, sæpe questos invenimus, quod, ne im-  
 posterum fieret, Nunciis suis ad Comitia Electionis, post  
 Regis Michaelis obitum, quam maxime commendarunt,  
 adeo, ut nulla alia negotia, nisi hoc remoto obstaculo, tra-  
 ctari permitterent. Nolebant ergo hanc *modificandæ Con-*  
*tributionis* libertatem Nostrates deserere, ad quam potius  
 perpetuo provocabant, quoties quid ei contrarium Poloni  
 molirentur. In Laudo Protestationis, quod Decreto cui-  
 dam Lublinensi A. 1642. opposuerunt, asserunt, „ Terras  
 „Prussiæ, ab ipsa ad Regnum accessione, eousque semper  
 „in liberrimo sciscendarum & modificandarum Contri-  
 „butionum usu mansisse, & quotiescunque subveniando,  
 „necessitatibus Reipublicæ aliquas decrevissent, easdem  
 „non ex impositione sancitorum Reipubl. sed liberis ac  
 „spontaneis voluntatibus, pro modulo facultatum, in  
 „Conventibus suis ordinasse & contulisse „. Ac cum A.  
 1660. Thesaurarius Regni, in bonis Regalibus & spiritua-  
 libus, tum & minoribus Civitatibus, à coctione cerevisiæ,  
 & aliam in Prussia inusitatam contributionem exigeret,  
 Ordines publico edicto declarabant, „ vergere hoc in  
 „summum Terrarum harum Jurium & libertatum præju-  
 „diciu,

---

 (\*) l. c. p. 80.

„dicium, proinde haud quempiam ex Statibus & Ordinibus huic oneri subesse, neque Civitates minores illud „afficere „.

§. XXXVI. Decreta in Generali Conventu pecunia, *Qui & suum habent The-  
saurarium,* non Regni, sed Prusisæ Thesaurario traditur. Ex quo enim Provincia nostra Poloniae juncta, perpetuo habuit, qui huic muneri præset, cujus Jura & Dignitatem, contra cujusvis impetitiones tueri, Ordines nunquam detrectarunt, adeo, ut cum A. 1652. Regni Constitutionibus nonnulla, quæ ejus prærogativam imminuere viderentur, inserta essent, ipsi in sequenti Conventu *Manifestationem* opponerent. A. 1617. orabant Regem, ut Thesaurarium suum à *molestationibus Thesaurarii Regni securum & indemnem præstet*, & anno sequenti Nunciis suis ad Comititia commendabant, curarent, *ut munus Thesaurarii Terrarum Prusisæ, secundum antiqua jura & consuetudinem, in suo vigore & observantia permaneat, & Constitutione vel speciali Privilegio roboretur.* Inter Jura, quæ ei competunt, non infimum est, ut nemini, quam Ordinibus Prusisæ, rationem accepti vel expensi reddere teneatur. Quoties igitur eum in finem ad Tribunal Radomienſe evocatur, Ordines *incompetentiam* fori, & si nihilominus Decretum sequatur, *Manifestationem* publico nomine opponere solent. Quod inter cætera A. 1655. & 1687. contigisse meminimus.

§. XXXVII. Quem ad mentem Juris publici exposui, contribuendi Ordo, non leviter nostra ætate turbari *Hodierna Capitatio.* cœpit, imperata Provinciae nostræ, sine suo consensu, nullo habito Conventu, sola Comitiorum anni 1717. Constitutione, in militum stipendium, Capitatione, quæ, quod

singulis sex mensibus penditur, vulgo *potroczna ptaca* dicitur. Sed sperandum, fore, ut Prusii interruptam antiquam contribuendi consuetudinem, aliquando reducant.

*De expeditionibus bellicis, extra fines Provinciæ.*

§. XXXVIII. Solent Poloni, non solum pecunia, sed & corporibus suis laborantem juvare Rempubl., quoties Rex, urgente necessitate, universam Nobilitatem, ad expeditionem bellicam convocat. Prusii, qui beneficio *Privilegii Culmensis*, tempore Crucigerorum, extra fines Provinciæ suæ, in bellum proficisci haud tenebantur, hanc immunitatem, sub Serenissimorum Poloniæ Regum imperio, illibatam sibi servarunt. Ut antiquiora omittam, in *Responsio*, quod Legato Reg. in Conv. Mariæb. d. 9. Dec. A. 1621. dederunt, inquit: *Quod ad expeditionem generalem bellicam, extra fines suos, cum incolis Regni, pro ejus defensione, adversus Turcam, Terrarum Prussiae incolæ non processerint, id ipsis ad culpam neglecti officii imputari, non sine mœrore intellexerunt. Cum enim omni obedientiæ studio, subitissimam suam promptitudinem, Sac. Reg. Majestati & Reipubl. contestari ac declarare, Majorum suorum exemplo diligentissime cupiant & allaborent, eo vehementiorem, quasi intermissi officii culpa, dolorem ipsis adfert, quo gravius Libertas Patriæ, & vetustissima Jura & Privilegia Terrarum Prussiae, eadem in re versari videntur. Imprimis ergo, summa animorum devotione Status & Ordines reverenter petunt, ut S. R. M. benignissime expendere dignetur, non quid Incolæ Regni ab his Terris præstari voluerint, sed quid, quantumque illi possint, & quousque juxta Jura sua, more Majorum sint obligati. In expeditionum immunitate, vigore, Pactorum cum Regno & Reciproce Majorum suorum Sponsionis, ipsi sub Maj. Reg. Divis Antecessoribus, liberi permanserunt,*

runt, & sub regimine felici S. R. M. Divina favente gratia, Status & Ordines, hucusque salvi conservati sunt, neque auditum est, sive sub Serenissimorum Regum, sive sub Ordinis Crucigerorum imperio, Subditos Terrarum Prussie, unquam, extra fines Terrarum Prussie cum Dominis suis, nisi dato stipendio, in bellum processisse, prout luculenter Majorum Antecessorumque monumenta & acta hoc ipsum ostendunt atque attestantur. Anno 1651. Nunciis, qui ad Comititia mittebantur, mandatum, ,, rogarent Regem, debitæ humili. ,, tatis studio, ut laudatissimo Divorum Prædecessorum ,, suorum more & exemplo, Terras Prussie, circa Jura & ,, & immunitates suas, quibus illæ à generali expeditione ,, bellica, postpolite ruszenie dicta, liberæ ac exemptæ sunt, ,, benignissime tueri dignetur, . Idem Ordines in *Responsò* Leg. R. in Mariæb. Conventu, ejusdem anni dato, repetebant, scilicet, ,, expeditioni generali Prussiam, à prima ,, ad perinclitum Poloniæ Regnum accessione, nunquam ,, subjacuisse, quin potius ab eadem, vigore Jurium & Privilegiorum suorum, semper fuisse immunem, adeo, ut ,, Incolæ fines ac Limites harum Terrarum excedere, nunquam fuerint adacti, . Quod expeditionem generalem intra Prussie fines attinet, nunquam se subduxerunt nostrates, si quando eam publica flagitaret securitas.

§. XXXIX. Restant alia, quæ Prussos à Polonis separant. Præcipuum est, quod in Deditionis Pacto continetur, Jus Indigenatus, quo vacantes in Prussia Dignitates ac Capitaneatus, solis in Prussia natis conferri debent. *Indigenatus Privilegium Prussis competitens.* Possem equidem sat amplum catalogum contexere, qui licet gente Poloni, in Prussia, tum Capitaneatus, tum alia munia obtinuerunt, quod læsum sæpe, non tamen abrogatum

gatum jus nostrum testatur, cum potius illud feliciter hodie imperans REX SERENISSIMUS, Divorum Prædecessorum exemplis insistens, singulari Diplomate A. 1699. confirmaverit: Nos, inquit, *non tantum hæc eadem Jura, Privilegia & immunitates, tanto sudore & sanguine Majorum partas prærogativas, cautiones, Rescripta, Terris & Civitatibus Prussie, singulariter autem super Indigenatum data, collata & concessa, tenore & vigore presentis Diplomatis Nostri conservanda, confirmanda & ratificanda esse duximus, prout in omnibus punctis, clausulis & articulis, ut in se sonant, conservamus, confirmamus & ratificamus, sed & insuper fide Regia spondemus, cavemus & promittimus, quod Dignitates tam spirituales, quam seculares, officia, beneficia, castra, tenutas Civitatum & Pagorum, omniaque bona in Terris Prussie ubique locorum consistentia, & vacatura, juxta obloquentiam eorum Jurium, non nisi veris, nativis, propriis & indubitatis indigenis, & Terrigenis earum Terrarum Prussie, ibidem genitis & degentibus, de Nobis & Republ. bene meritis, dabimus & conferemus, idque sub nullitate Privilegiorum nostrorum & nominationum, ipsaque incapacitate super secus obtinentes. Ad extremum, contrarias à Divis Prædecessoribus Nostris & Nobismet ipsis factas collationes, in sequelam, exemplum, & allegationem à nemine trahi debere, nec in quopiam Juribus Indigenatus præjudicare posse, vel derogare, firmiter cavemus & declaramus, presentibus literis Nostris perennaturis. Eadem S. R. Majestas, in Conventu Mariæburgensi. Anno 1713. per Oratorem suum benignissime declaravit, „ Se specialia Jura Provin-*

„ ciæ Prutenæ, antiqua Privilegia & quasvis immunitates,  
 „ tam Ordini Equestri, quam majoribus & minoribus Civita-  
 „ tibus, legitime concessa, & præcipue Jus avitum Indigenatus  
 „ Pru-

„ Prutenici, sancte servaturam, & manutenturam „ Cum igitur PRINCEPS INDULGENTISSIMUS, vacantes Episcopatus, Varmienssem & Culmenssem, illum Andr. Chryf. Zaluscio, hunc Theodoro Potocio, jam Celsissimo Poloniae Primati, utrique Polono, conferret, commendabat Prussiae Ordinibus, ut ambo *ex singulari, super eximia in Ecclesiam DEI & Rempubl. merita, & ob insignem Prosapiae claritudinem, respectu*, Jure Indigenatus donarentur, quod A. 1708. in Conventu Generali Mariæb. factum est. Ipsiq; Illustriss. ac Reverendiss. Episcopi in literis suis, ut vocantur, *Reversalibus*, fatentur, „ se sine derogatione Jurium & Libertatum, pro veris naturalibusque Prussiae „ Indigenis esse susceptos „ . Idem anno 1712. in Conventu Graudentinensi, *ob extantissima & maxima in Rempubl. & has Terras merita*, Illustrissimo Dom. Joh. de Stupow Szembeck, supremo Regni Cancellario, contigit, quod Provincia nostra optime agi de Juribus suis confideret, si eorum tutela, non extraneo, sed Civi concrederetur.

§. XL. Exiguntur in Polonia telonia: quo onere ne unquam Prussia premeretur, in Pacto Deditionis prospectum est. Hanc immunitatem novo, *laudo* in Conventu Mariæb. A. 1713. roborarunt Ordines, omnimode volentes, ut in futurum unicuiq; Incolarum harum Terrarum, liberum sit commercium, absque ulla præpeditioe & teloniorum exactione. „ In casum vero, quod si Exactores Teloniorum Incolas „ harum Terrarum ulterius turbare, ab iisdem telonia exigere, aut alias quasvis depactiones facere non desisterent, Dominis Palatinis, aut eorum Succedaneis, serio „ committebatur, quatenus securitati publicæ invigilando, „ adhibito milite, ex repartitione ad hasce Terras Prussiae,

*Prussia à  
vehtigalibus  
libera.*

„ aut ratione contingentis, ad easdem pertinente pede-  
 „ strum turba, vel etiam si necessitas postulaverit, mota  
 „ universa harum Terrarum Nobilitate, ejusmodi præjudi-  
 „ ciosissimis hisce Terris attentatis sese opponant, & avi-  
 „ tam harum Terrarum libertatem ab omnibus teloniis  
 „ vindicent, cameras teloniorum, in fundo harum Terra-  
 „ rum, contra Jura, vel jam institutas, vel si quæ adhuc  
 „ institui velint, ubicunque locorum abrogent, impe-  
 „ dian, nec etiam ulterius in Civitatibus superintenden-  
 „ tes, aut alios officiales teloniorum morari patiantur,  
 „ contra vero, omnibus harum Terrarum Civibus atque In-  
 „ colis, omnimodam securitatem in libero commercio-  
 „ rum usu, sive in terra, sive in aqua procurent, atque ma-  
 „ nuteneant. Cujus nomine, Ordines Dominis Palatinis  
 „ eorumque succedaneis, omnimodam evictionem firmi-  
 „ ter cavebant & promittebant, obligantes se in univer-  
 „ sum, in omni termino & foro, communi sumtu &  
 „ oppositionibus, integritatem Jurium vindicatu-  
 „ turos „. Præterea ex memorato Deditionis Pacto con-  
 „ stat, Prusfiæ Incolas in ipsa Polonia, non ad alia, nisi, quæ  
 „ in Regni finibus antiquitus pendi solebant, obligari vesti-  
 „ galia. Hinc, quoties nova exigì cœperunt, provocare ad  
 „ vetera Jura Ordines, eorundemque observationem enixis-  
 „ sime petere. Unum ex innumeris, quæ extant, dabo  
 „ exemplum. Anno 1674. Nunciis ad Comitìa Electionis  
 „ Regiæ committebatur, „ efficerent, ut omnia nova telo-  
 „ nia, in Regno instituta, per Constitutiones abrogentur,  
 „ & incolæ Prusfiæ cum mercibus & bonis suis, per totum  
 „ Regnum, ab omnibus Datis, teloniis, nec non oneribus  
 „ cujuscunque nominis, tum & Legibus Regni, non sine  
 „ summo Terrarum harum & Civitatum onere sancitis,  
 „ in-

*Quousque  
 ad ea, quæ  
 in Polonia  
 penduntur,  
 teneantur.*

„ inductis & erectis, tam in aquis, quam in terra consti-  
 „ tutis, in omnibus stratis & viis immunes conserventur,  
 „ & nulla alia persolvantur telonia, quam quæ in antiquis  
 „ & extremis Regni limitibus, exterorum Principum Ter-  
 „ ras attingentibus, pro more veteri dependuntur, secun-  
 „ dum Pacta & Privilegia Terrarum Prussiæ adigantur „.  
 Imprimis vectigalia ad Diboviam & Fordanum gravia  
 nostratibus visa, de quibus sæpe questos Acta publica te-  
 stantur (\*). Tempore posterioris Interregni, anno 1696.  
 Nunciis ad Comititia in mandatis datum est, instarent,  
 „ ut juxta antiquissima Jura Terrarum & Civitatum Prus-  
 „ siæ, merces Civitatum à teloniis quibusvis, intra Re-  
 „ gnum, sint liberæ & immunes, & imprimis à Dibovien-  
 „ si & Fordanensi camera „. Et cum magnum illud Con-  
 silium, quod Anno 1710. Varsaviæ habitum est, Telo-  
 nium ad Fordanum iterum decerneret, injunctum est  
 Nunciis Anno 1712, *ut in Comititiis, pro omni posse operam  
 sedulo narent, quo Telonium illud tollatur & aboleatur.*

§. XLI. Habet & Prussia Leges, ad quas litigan- *Leges Civi-*  
 tium controversiæ definiuntur, peculiares: Nobilitas Jus, *tes Prussia*  
 ut vocatur, Terrestre, quod Anno 1598. Constitutio- *peculiares.*  
 ne Regni firmatum est (\*\*), Civitates pleræque  
 Culmenſe, de cujus Correctione multa in Historia Prusſica  
 memorantur (\*\*\*). In hoc tamen Prutena Nobilitas Po-  
 lonorum exemplum secuta est, quod se Tribunali Petrico-

F 2

vieniſi

(\*) V. Index T. 4. H. P. voc. Zoll bey Fordan, & Zoll bey Diebau.

(\*\*) Hist. Pr. T. 4. p. 262. & Const. R. A. 1598. Art. Právvá Pruskiego  
 Korrecturá.

(\*\*\*) T. I. II. III. IV. v. Indices.

*Ultima, que  
dicitur, in-  
stantia non  
eadem, sed  
provocatio-  
nes modo ad  
Tribunal  
Petricovien.  
se, modo ad  
Judicia Re-  
gia sunt.*

viensi submiserit. Quamvis enim Anno 1578. ituris ad Comiticia, ratione Tribunalis Polonici, non alia daretur facultas, „ quam ut dicerent, Prussos, Juribus, Legibus & „ ordinario Judiciorum modo, ut hactenus fecerint, libere „ usuros (\*) „; illi etiam, qui in Comiticiis aderant, profi- terentur, „ se in nullum Tribunal novum, extra Prussiam, „ consentire posse „, additis rationibus: *primum*, quod *longa alia ratio sit Legum & Jurium Provinciae nostrae, quam Palatinatum Regni.* Deinde, *dispar ratio Judicum utriusq; instantie, ita, ut absurdum videatur, tot Senatorum secula- rium & spiritualium sententias, per inferiores Judices de- nuo cognosci, judicari, sive etiam retractari.* Tertio, quod *controvertendi diversus Juris Culmensis in Prussia sit mo- dus, quodque lingua germanica omnes causae in prima & secunda instantia plerumque controvertantur, & conscri- bantur.* Quarto, quod *multis Privilegiis Regum Poloniae, Judicia Dignitariis & Consiliariis Terrarum Prussiae confir- mata sint, & expresse Prutenis cautum, ut Jure Culmensi à suis indigenis judicentur.* Quinto, quod *in possessione liber- tatis illius à tempore, cujus non est memoria, imo sub ipsis etiam Cruciferis extiterint.* Postremo, quod *Judicia caput & fundamentum omnium libertatum sint, quo fundamento loco suo moto & avulso, omnes reliquas libertates labefactari necesse foret (\*\*).* Nihilominus Anno 1585. Equestris Ordo ad Petricoviense Tribunal accessit, certis tamen sub conditionibus, inter quas non postremæ erant, ut Prussis secundum leges suas receptasque consuetudines jus dicatur, iisq; integrum sit, si quando è re videatur, à Tribunali ad pri-

(\*) Histor. Pr. T. 3. Doc. p. 21.

(\*\*) l. c. p. 76. 77.

priscum instantiarum ordinem reverti (\*). Quod Stephanus Rex singulari scripto ratum habuit (\*\*), & Sigismundus III. A. 1589. Constitutione Regni roboravit (\*\*\*). Civitates quod attinet, illæ in Comitijis Varsoviensibus, A. 1585. Regem humillime rogarunt, „ ut penes vetera „ Privilegia, Terrarumque Constitutiones, & receptam Juridicorum formam, clementissime conservarentur „. Quod, cum Rex indulgeret, pronunciaretque, Civitates nullius alterius, quam Regiæ Majestatis cognitioni subesse vel posse, vel debere; publico Laudo, in Conventu generali Thorunensi, A. 1585. cautum est, „ inductam à Nobilitate novitatem, Civitatibus in suis Juribus, Privilegiis, „ immunitatibus ac consuetudinibus, nullis temporibus „ præjudiciosam, vel noxiam esse debere „. Mansit ergo ultima Civitatum instantia coram S. Reg. Majestate, nec aliter, nisi ad Ejus Judicia evocationes provocationesque hodiernum legitime fiunt (\*\*\*\*). Unde & Comitiorum Grodnensium superioris anni 1726. Constitutiones, art. *Trybunał główny koronny*. §. *A jáko lege publica cautum est*, evocationes Civitatum ad Tribunal interdunt, & partes ad forum competens, sub nullitate Decretorum, remitti volunt,

§. XLII. Non alia, quam quæ vivente Rege fuit, *Quid circa Regimen Prutenicum tempore Interregni observandum.*  
Nulla in Provincia nostra Archi-Episcopi Gnesnensis auctoritas,

F 3

(\*) Hist. Pr. T. c. p. 452.

(\*\*) Doc. T. c. p. 159.

(\*\*\*) Vol. Constit. p. 514.

(\*\*\*\*) Conferri omnino meretur scriptam, quod sub Tit. Immunitas Civit. Pr. à Jurisdic. Trib. 1718. prodit.

ritas, sed quam ille in Polonia, Lithuaniaque gerit Personam, in Prussia Terrarum Præses induit. Hic Ordinis convocat, Hic Conventibus locum tempusque dicit, Hic capita deliberandi proponit. Nec fœdus, Kaptur vulgo dictum, quod Poloni ineunt, Prussiam afficit, verum Ordines, pro conservanda publica tranquillitate, suas leges promulgant, & peculiaria Judicia constituunt. Cætera ita fiunt, ut in Republ. Capite suo orbata, solent (\*).

*Epilogus.*

§. XLIII. Satis de indole unionis Prussiæ & Poloniæ dixi. Junxit Casimirus solenni Pacto Prussiam Regno; usus Sigismundus Aug. Decreto, quo, contradicentibus Prusis, arctius vinculum texeret. Unio Lublinensis, mutavit aliquantum veterem Prussiæ statum, non evertit. Contigisset posterius, si omnia ad amussim Decreti peracta fuissent. Sed, quæ Serenissimorum Regum indulgentia est, vivit suis Legibus Prussia; colit Poloniam, quod sibi æterno fœdere juncta; parique zelo opem & consilia in commune confert, quo bene constituta à D. Casimiro compages perennitatem consequatur.

---

(\*) C. Interregna, quæ post. Sig. Aug. & Stephani obitum, T. III. & IV. Hist. Pr. describuntur.



NOBILISSIMO ac POLITISSIMO  
DN. ARNOLDO DILGERO,  
DISSERTATIONIS HUIUS DEFENSORI,

S. P. D.

SAMUEL FRIDERICUS Willenberg/  
D. & Prof.

**N**on author Tibi sum, nec consilia aut opem  
tuli ad hanc Dissertationem, sed quam,  
ut hic legitur, elaboratam, ad perlustran-  
dam eam, exhibuisti mihi, ita reddidi,  
&, quod declinare non licuit, moderamen meum,  
tui, ex cathedra cum Commilitonibus tuis institu-  
endi discursus, Tibi pollicitus sum. A multis annis  
ingenii tui bonitatem, decentemque industriam  
in Jurisprudentiæ studio exploratam habeo, non  
ex subselliorum assensione, fallaci requisitæ attentio-  
nis documento, sed ex alacri materiarum oppugna-  
tarum & defensorum reciprocatione. Hoc singulari  
laudi tuæ dabo quoq;, quod in fortunarum tuarum  
cumulo usus prudentia rectrice, & memor avitæ  
gloriæ, ut ultimus Gentis tuæ, propriis tuis virtu-  
tibus eam conservare annisus sis. Speratum Dis-  
cursus tui eventum animitus apprecor, simulq; ut  
DEUS comes in peregrinatione tua, & aliquando  
gratiosus reductor tuus esse velit. Vale. Dab.  
d. XXVIII. April. M DCC XXVII.

**F**elix ingenium, quo Te natura beavit,  
 Et solers studium, DULCIS AMICE, Tuum,  
 Suspensos nos detinuere, magisne stupenda  
 Sit Tua sedulitas, num vigor ingenii?  
 Sed SPECIMEN PRÆSENS: dubium dissolvit, utrumque  
 Perfectum, testans, omnibus esse modis.  
 Gratulor hinc merito, quævis hinc fausta precando;  
 Acclamo gaudens ausibus hisce Tuis.  
 Jam Tibi cum Patriis mens sit discedere ab oris  
 His Numen cœptis annuet usque, precor.  
 AUSPICE TER SUMMO succedent cuncta, Reversus,  
 Quo Major, magna spe Patriæ exstiteris.

*Hisce Nobilissimum DN. RESPONDENTEM,  
 genere, doctrina, moribusq; elegantem,  
 Amicum suum honorandum amplecti, &  
 abiturienti quævis fausta apprecari vo-  
 luit, debuit*

Fried. Gottl. Fraischlich, Ged.  
 Oppon.

---

**I**ch wolt, Geehrter Freund/ von dei-  
 nem Ruhme schreiben,  
 Da Dein gelahrter Mund von flugen Sa-  
 chen spricht,

Doch

Doch selbst die Fama rieff: Laß nur die Arbeit  
bleiben,

Wer sich berühmt gemacht, braucht keiner  
Verse nicht.

Dieses wolte dem Hn. RESPONDENTEN  
mit aufrichtiger Feder unter Anweisung  
alles verlangten Volvergehens hinzufügen

Daniel Gralath,  
*Opponens.*

---

VIRO-JUVENI,  
Gente ac Mente præstantissimo,  
Amico dulcissimo,  
*Salutem!*

**A**Ntiqua stirpe avitisq; nominibus celebrem esse, gloriosum; gloriosius, propriis gestis florere, nec majorum opinione uti; gloriosissimum, & Generis & Virtutis splendorem arctissima quadam unione jungere. Postremum, Amice ut Nobilissime, ita & Doctissime, est, cujus luculentissimum exhibes exemplum. Cum enim fumosæ parentum imagines alios insolentes majorumq; gestis superbientes reddant, tantum abest, ut ventosa horum consilia probes, ut potius Natalium splendor ingens Tibi sit incitamentum, Nobilissimorum Tuorum Parentum virtutes ex asse reddendi ac referendi. Affectatam aliis virtutem & eruditionem, Tibi ingenitam & innatam pæne dixerim: talem enim semper Te geris, quem vituperare ne

G 2

ini-

inimici quidem possint, nisi ut simul laudent. Verum, quid laudibus meis Te diutius vellico, qui ita eruditionem & modestiam misces, ut, cum sis doctus, Te tamen esse nescias. Insignius dictorum argumentum est præsens, docto Marte elaborata, dissertatio: DE UNIONIS, QUA POLONIÆ JUNGITUR PRUSSIA, INDOLE. Hujus ego contrarium ut assererem, Tibi placuit. Excedit, fateor, hæc, quam mihi demandasti, provincia ingenii mei vires: utut autem maxime excedat, nihilominus tamen obsequar Amico, cui in nulla re fas puto repugnare. Jam, cum amor terras alio sub Sole calentes invisendi animo Tuo penitus sedeat, nihil superest, quam ut Te, in procinctu itineris stantem voto prosequar DEUS Te florentem & extra morborum pericula positum ita ducat, ut teneris adhuc annis disjunctissimas terras viri firmitate lustrare possis. Tandem confecto itinere DEUS Te, postremam inclytæ Stirpis Tuæ propaginem, reddat Patriæ, reddat Amicis. Abi Dimidium animæ meæ, &, ne de Te, quem ardentissime diligo, nihil interdum sciam, jucundissimos cum amico misce sermones; sic erimus una, sic dabimus invicem consilia, sic nec animi Nostri, licet terra dividamur, dividuntur. Vale & ama

Gedani A. R. S. M. DCC. XXVII.

Die XXX. April.

*Tuum Totum*

Christoph. Ernestum Leuschner, Ged.

*Oppon.*

~ (O) ~

